


Q. D. B. V.  
DISSERTATIO HISTORICO-PHILOSOPHICA  
*DE*  
**SCIENTIAE COMETICAE**  
**FATIS ET PROGRESSV**  
*PARS POSTERIOR*  
*QVAM*  
**DEO FAVENTE**  
ET  
**AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS**  
**PUBLICA AVCTORITATE**  
*IN*  
**INCLYTA VNIVERSITATE ALTOREINA**  
AD D. AVGUSTI A. O. R. C<sup>I</sup>D<sup>I</sup>C<sup>CC</sup>XXX.  
**SOLEMNI ERVDITORVM DISQVISITIONI**  
SVBIICIENT  
**PRAESES**  
**M. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS**  
**TRESENREVTERVS**  
ET  
**RESPONDENS**  
**IOHANNES CASPAR GIPSERVVS**  
EZELWANGA - PALATINI.

---

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.





DE  
SCIENTIAE COMETICAE FATIS  
ET PROGRESSV  
TARS POSTERIOR.

## I.

 Valia FATA, qualemque PROGRESSVM Exordium.  
a prima, qua excoli coepit, ætate, us-  
que ad Seculi XVII initium, scientia  
Cometica habuerit, superiori disserta-  
tione, pro virium modulo, breviter ex-  
posuimus. Reliquum est, ut pari ratio-  
ne, quæ ex eo tempore accesserunt incrementa, ex præ-  
stantissimis Cometarum Scriptoribus colligamus, & de-  
centi ordine pertractemus. Seculum novum, uti omni-  
bus scientiis, ita etiam obscuræ hactenus de Cometarum  
natura & indole cognitioni mirum in modum facem ac-  
cedit. Non enim ea tantum, quam de Cometarum se-  
de, frequentissime supra Luna existente, primus *Tycho* Nova de Co-  
demonstravit, sententia, novis aliorum observationibus  
maxime fuit confirmata, verum etiam alia, de horum si-  
derum cum reliquis corporibus, a Deo conditis, simul  
producta essentia, satis subtilis quæstio inter præcipuos  
denuo agitari coepit Astronomos.

metarum a  
mundo con-  
dito existen-  
tia cum no-  
vo seculo o-  
ritur contro-  
versia.

A 2

II. Vete-

## II.

Ope Tele-  
scopiorum  
Cometæ in  
nucleos divisi  
deprehenduntur

<sup>a</sup>Wendelino.

<sup>ab</sup> Habrech-  
te.

Veterem quidem sæpiusque olim ventilatam inter Philosophos hanc fuisse litem, ex iis, quæ in § VII & IX prioris partis uberius diximus, luculenter constat; at enim vero hoc seculo longe maiori contentione hac de re disquirebatur, postquam nonnulli novam Cometarum generationem, non quidem in aëre, sed in sublimiori coeli regione contingentem, ex ipsis in Cometis mutationibus, Telescopiorum ope detectis, multa specie probare annisi sunt. Primam hanc talia conjectandi occasionem famosus ille suppeditavit Cometa, quem circa finem anni cIo Io cxviii & sequentis initium apparentem, Prophetam belli tricennalis certissimum plebs superstitiosa credidit. Huius facies, ubi per Telescopia, recens admodum inventa, considerari potuit, adeo singularis & plane insolita a sedulis astrorum observatoribus est deprehensa, ut, novi quid spectantes, iusta non potuerint non capi admiratione. Audiamus de Cometa hoc differentem insignem illum apud Belgas Jure-Consul-tum ac Mathematicum Godefridum Wendelinum, qui in Teratologia sua Cometica pag. 21 Caput ipsum, inquit, Cometæ, cum illud primum Telescopio exploravi die 29 Novembris, deprehendi velut ingentis foci luctulentas tres aut quatuor prunas, igne valido accensas. Vidi, inquam, Cometam, quasi triplicem globum, & quidem istas tres prunas adverti in coram mei mutare non nihil situm, quasi esset, qui focum scrutaretur: ac sequentibus diebus plures mihi prunæ conspectæ sunt, quasi carbones nostri dissiliunt in plures partes iam accensi. Nec multum ab eo dissentit Iaacus Habrechtus, Argentoratensis Medicus non ignobilis,

lis, qui ad Philippum Müllerum, Lipsiensem Mathematicum, de hoc Cometa hæc scripsit: *Die 30 Novembris notavi in Cometa quasi triplicem stellam, & intimum ipsius nucleus fulgentem instar auræ in testa liquati, inter violentissimos ignes Capellæ; sed illum nucleus circumdatum fuisse circulo remissoris claritatis, & hunc iterum alio circulo inconstante & scintillante, quo item die visa ab aliis stella in capite cometæ, quasi domicella in vehiculo sedens.*

## III.

Præ reliquis autem hic recenserî meretur P. Ioh. Baptista Cysatus, S. J. qui non modo qua caput, caudam, a Cysato, motum, locumque ad singulos dies Cometam hunc observavit, sed etiam egregie Hevelio prælusit ad eam stabilendam sententiam, quam tanto studio contra *Petitum* & *Auzutum* postea defendit. Observationem eius huc potissimum facientem reperire licet in peculiari libro, cui titulum dedit: *Mathemata Astronomica de loco, motu, magnitudine, & causis Cometæ, qui sub finem anni cœlo 15 cœxviii & initium anni cœlo 15 cœxix in cœlo fulsit, ubi cap. VI novum & singulare capitum Cometæ phænomenon ita proponit: Die 8 Decembris non tantum totum Cometæ caput (nempe nucleus una cum circumfuso iubare) sed solitarius quoque nucleus, etiam duplo Arcturo major in Diametro 3 aut 4 min. videbatur (cum primo die longe esset minor) nec amplius rotundus, sed diffissus in ternos aut quaternos irregularis figurae globulos inter se coherentes, quales solent apparere Saturni Comites. Et paulo post sequentem in modum pergit: Die 20 Decembris manifestius meditullium seu nucleus, qui primo die quasi solida ac rotunda lux apparuerat, in stellulas multas dissolutas appa-*

A 3

ruit,

ruit, ita, ut jam esset congeries complurium minimarum stellarum, quarum tres præ ceteris constantius ac distinctius videbantur, earumque maxima instar stellæ quinta magnitudinis.

## IV.

*Cysatus novam Cometarum generationem inde conclu-*  
*dit.*

His igitur fundamenti loco positis observatōnibus, haud difficile fuit concludere, Cometas non esse perpetuæ durationis stellas, sed congeriem multorum corporum, quæ illucente Sole lumen recipiant & stellarum instar luceant. Expressis hæc docuit verbis laudatus ante *Cysatus* l. c. cap. VII, ubi præter alia, ad rem cum primis facientia, ex veteribus *Democritum* & *Anaxagoram* in consensum vocat, qui, teste *Aristotele* Lib. I Meteorolog. Cap. VI, eadem nixi experientia cum recentioribus, Cometas coapparentiam errantium stellarum dixerunt, quæ, propterea quod prope veniunt, videantur tangere se invicem. Ne quis autem hæc sidera ejusdem naturæ cum reliquis Firmamenti stellis, & vulgaribus Planetis esse putet, comparationem porro instituit *Cysatus* cum maculis solaribus, quarum materiam, originem, & naturam adeo conformem Cometarum naturæ dicit, ut etiam a maculis solaribus uberiores de materia & natura Cometarum assertiones petendas esse doceat.

## V.

*Vberius rem exponit Hevelius.*

Quod brevibus tantum innuere *Cysato* placuit, uberiorius atque dilucidius Princeps iste Astronomorum *Hevelius* explicare & demonstrare conatus est. Huic ita felici esse contigit, ut intra breve temporis spatium tot memorabiles observare potuerit Cometas, quot aliis intra totius

totius seculi decursum vix dati fuerunt conspicendi. Singuli vero illud confirmare ipsi visi sunt, quod unanimi consensu de Cometa anni c<sup>16</sup> I<sup>o</sup> cxviii tot egregii tradiderunt viri, quorum vestigiis insistens, in eam se trahi passus est sententiam, cuius restauratorem paulo ante *Cysatum* nominavimus. Ante autem quam in explicanda *Hevelii* hypothesi pergamus, consultum erit illius observa-<sup>Eius observa-</sup>  
tiones ipsas in medium proferre. Primus qui sese *Heve-*  
*lio* obtulit Cometa is est, cujus caput die 20 Decembris  
anni c<sup>16</sup> I<sup>o</sup> c<sup>16</sup> LII Lunam magnitudine fere æquabat. Hunc  
ubi per Telescopium die 27 Decembris accurate contem-  
platus esset, quatuor vel quinque nucleos, reliquo cor-  
pore aliquanto densiores, deprehendebat, quorum duo  
reliquis tribus paulo maiores videbantur. Idem in eodem  
Cometa conspexisse sibi persuaferunt *Patres S. J. Mantuae,*  
*Colonienses* item ac *Monasterienses*, & in primis Cl. *Ismael Bullialdus* Parisiis, quorum omnium observationes suæ  
subjungit *Hevelius* Cometograph. Lib. XII pag. 890. Fir-  
miter ex his jam collegerat vir acutissimus non esse mera  
fomnia, quæ opinari de Cometarum alterationibus antea  
cooperat, major tamen ipsi adhuc accessit persuasio, post-  
quam in aliis etiam subsequentibus Cometis diversos sub-  
inde situm ac magnitudinem figuramque variantes notare  
potuit nucleos. Præstabit hic allegare, quæ de Cometa  
anni c<sup>16</sup> I<sup>o</sup> c<sup>16</sup> LXI I. c. pag. 892 nobis legenda reliquit.  
*Caput*, ait, *quali lumine & colore, & quod uno solo nucleo*  
*in meditullio præditum fuerit, jam initio percepisti.* Ma-  
jus tamen erat die 5 Novembris atque clarus, auræ coloris,  
lumen tamen tristius quam reliquarum stellarum præ se fe-  
rebat. At vero nucleus ille unicus in diversas partes jam  
dissectus erat. Plane conformis est huic observatio Co-  
metæ

metæ anni cIo Io CLXIV, cujus faciem, Telecopii auxilio, accuratius detectam I. c. pag. 894 hac ratione describit: *Capite lustrato, præstanti ac prælongo Telescopio, animadvertisimus meditullium corporis non ex uno solo clariori nucleo; sed ex plurimis particulis sive corpusculis, tum densioribus & lucidioribus, tum tenuioribus & obscurioribus, majoribus & minoribus, interspersa insuper alia diversæ densitatis subtiliori materia, constare.*

## VI.

&amp; sententia.

Repetita igitur saepius hæc variationis in Cometarum capitibus observatio, *Hevelio*, pariter uti *Cysato*, dubiam valde fecit eorum sententiam, qui inter opera mundo coæva Cometas locum habere arbitrati sunt. Probabilior multo ipsi reddita est opinio, secundum quam in coelis ex concursu Planeticorum effluviorum originem habere dicuntur, cui non modo calculum adjecit, sed speciosius etiam exornare eandem contendit. Longam & diffusam hujus argumenti expositionem petere possemus ex toto libro VII Cometographiæ, qui de ortu, genuina materia, forma, proprietatibus, ac interitu Cometarum inscribitur; at quoniam ex fonte hoc haurire aquas, brevitatis, cui studendum est, ratio non permittit, ex rivulo, sed non defæcato, nimirum ex egregia B. Sturmii nostri Dissertatione de Cometarum natura, brevem sententiæ *Hevelianæ* delineationem exhibere licebit. Fundamentum totius Hypotheseos notum illud constituit dogma, quod recentioribus præsertim valde arrisit, omnia nempe mundana corpora suas habere Atmosphæras, quæ effuvia in sublime surgentia recipient. Hoc posito duplicitis porro generis assumit effuvia, crassiora alia, quæ, intra

intra suam Atmosphærām consistentia, instar macularum solarium ac nubium, nunc concrescunt, nunc resolvuntur rursum, & a corpore suo attrahuntur; alia subtilliora, quæ non raro Atmosphærām suam supergressa, per universum ætherem se diffundunt, passim etiam coalescunt in sparsas, sed adhuc invisibiles nubeculas & nucleos diversæ magnitudinis. Quæ nubeculæ, accedentibus aliis ex vicinis Atmosphæris, ab intercurrente rariore materia ita tandem conjunguntur, ut, acquisita quadam densitate, terræ nostræ viciniores, lumen, a Sole exceptum, reflectant, & sub crinitæ stellæ forma sese conspicuas reddant. Ejusdem cum capite originis ac materiae caudas etiam non sine quadam verisimilitudine existimat, hoc tamen occurrente discrimine, quod rariora multa effluvia in caudis quam in capitibus existant. Hæc, in æthere circumvagantia, postquam radiorum solarium virtute post terga Cometæ sunt propulsa, ab aliis ejusdem Solis radiis, ipsum Cometæ caput penetrantibus ita collustrari arbitratur; ut in tenebris constituto oculo ad formam caudæ visilia reddantur. Quod denique ad motum Cometarum attinet, eum, cum *Kepero*, qui primus viam Cometæ describere ac determinare tentavit, trajectorium rectilineum, non sine omni tamen deviatione, statuit, quippe qui disciformibus & interituris corporibus, inter quæ Cometas numerat, magis conveniat, quam circularis aut Ellipticus, quem sphæricis sideribus fere proprium credidit. Vnde vero motus iste originem habeat, & ratione conservetur, illud adeo arduum & intricatum esse dicit, ut tandem ipse suam hypothesin non omnibus phænomenis satisfacientem agnoscat,

## VII.

Eius defensor  
Sturmius.

& Adver-  
tius Petitus.

Hujus sen-  
tentia de Co-  
metarum  
mundo co-  
æva exi-  
stentia.

Multos interea hujus dogmatis cum novitate coniuncta in plerisque facilitas sibi conciliavit Fautores : Quos inter in primis celeberrimum nostrum nominare licebit *Sturmium*, qui sub finem laudatæ ante Dissertationis *Hevelii* partes tueri, & clarissimi apud Gallos Mathematici *Petri Petiti* objectionibus, contra hanc hypothesisin formalis obviam ire contendit. Non extra oleas nos vagari arbitramur, si ad accuratiorem hujus controversiæ cognitionem obtinendam, *Petiti* quoque de Cometarum natura sententiam ex ipso *Sturmio* brevibus repetamus. Quamvis inconsulte nos hoc modo agere quilibet dicet, cui animus eorum, qui in aliis refutandis occupati sunt, perspectus est, dum non raro nova dogmata adversariis affingunt, quo opponendi occasionem consequantur, mitius tamen de *Sturmio* judicabit, qui ingens veritatis studium, summamque qua usus est contra *Petitum* modestiam, nec non mentem a gloriæ cupiditaté alienam, & ipsam tandem hujus controversiæ conclusionem inspicere non deditur. Liber ipse *Petiti*, in quo suas proponit cogitationes, inscribitur Dissertation sur la Nature des Cometes, cuius secundum singulas partes recensionem diffusa thematicis expositio hic prohibuit. Foverat aliquando *Petitus*, si generalia species, tum quoad capitum, tum quoad caudæ Cometarum originem, eandem fere cum *Hevelio* opinionem, postquam vero *Auzutus* omnium motuum Cometæ anni cIcIc LXIV in futuros dies expectandorum parasset Ephemerin, ita deinceps eam mutavit, ut quod caudas quidem attinet, cum *Hevelio* prorsus sentiret, capita autem pro sideribus Mundo coævis, nec noviter in cœlo

cœlo genitis haberet. Hæc ad instar Planetarum non secundum rectas lineas, sed in circulis ac Ellipsibus moveri, ac tum demum conspicua fieri, ubi ad pericæum sui circuli vel Ellipſeos descendunt, eo magis ipsi verosimile videbatur, quo certius sibi eosdem Cometas ſæpius rediſte perſuaderat. Exemplum eſſe credidit Cometam anni cIo Io c LXIV, quem cundem statuit cum eo, quem *Cysatus* aliique anno cIo Io c XVIII obſervarunt, utpote qui eodem fere tramite, per eadem Zodiaci signa, iisdem anni mensibus incessit. Cui conjecturæ multam fidem alia fecit obſervatio, quæ per æqualia annorum 46 (quanto ſel. hi duo ab invicem diſtant) intervalla, retro numerando, ſæpius Cometis conſpectos eſſe docuit. Atque ita quidem maximum, quod *Hevelianam* premit hypothēſin, dubium, unde Cometarum motus oriatur, facillime ſublatum eſſe credimus, ſiquidem jam ſimilis, quæ ceteros movet Planetas, Mundo coæva cauſa allegari potest; ſed alias, nec minus graves, circa alia quædam phænomena, natas eſſe difficultates, ſtatiſ patebit. Eam quidem, quam *Sturmius* l.c. Cap. V num. IX tangit, fore nimirum, ut, ſi ſolidum Cometa eſſet corpus, caudæ primordia obſcurantur, merito omittimus, cum ipſe, ſuppoſito corpore Cometarum ſemilucido, ſuperatam eam eſſe agnoſcat; at enim vero aliquam conſiderationem merentur, quæ circa motum & caudam moveri queunt ex *Petiti* hypothēſi diſſiculter ſolvendæ. Quando enim caudas de novo generari, corporibusque mundo coævis, eodem modo quo *Hevelius* ſuis temporariis, in via adnaſci *Petitus* affirmat, nescio quam forte peculiarem proprietatem ac fabricam in Cometis fingit, ut, quamobrem his & non aliis Planetarum corporibus hujusmodi eſſluviorum appendicēt.

B 2

accrē-

accrescant, aliqua ratione explicare, suamque hypothesin ab interitu liberare possit. Nec minoribus objectionibus obnoxia est illa de periodo 46 annorum suppositio, quam penitus subvertere videtur ipsius *Petiti a Sturmio l. c. Cap. V num. VI* allata observatio, secundum quam intra paucos annos totam absolvere deberet Ellipson, cum intra duos vel tres menses, si non quartam, quintam, aut sextam, saltem magnam ejus partem Cometa anni c1616cLXIV sit emensus. Ut nihil jam dicamus de ea, quam contra suppositam 46 annorum periodum l. c. Cap. V num. V maxime *Sturmius* urget, observatione, quando Cometas sub finem apparitionis in nucleos divisos afferit. Quamvis enim non prorsus negare eam ausus fuerit *Petitus*, neque nos eam plane rejicere sustineamus, parum tamen huic observationi superstrui posse putamus, cum propter silentium omnium, qui Cometas observarunt recentiorum, & potissimum ob *Kircheri* ab *Hevelio* hunc quoad passum dissensum, quem *Olhoius* notat in excerptis ex literis ad Joh. Hevelium pag. 107, tum ob ea quæ infra § XIII de isthac observatione ex *Newtono* monuimus.

### VIII.

*Ad quas maximam partem superant annas auctoritate dedit Cometam anni 1680* In statu scientiae Cometicæ tam ancipiti, famosus ille Cometa sub finem anni c1616cLXXX & sequentis ini- tium apparuit, qui uti in plebe stuporem, ita in doctis magnum excitavit ardorem, per varia tentamina naturam & motum illius accuratius inquirendi. Commendaverat se utique eorum opinio, qui Cometas sidera a mundo condito jam existentia putarunt, cum ii, qui novam eorum ex effluviis Planetarum generationem defendebant, multis de genesi ac interitu horum corporum difficultibus

se

se quæstionibus constrictos viderent. Nihil igitur in tam gravi materia magis desiderabatur, quam apta motus explicatio, ad quam investigandam plures recentiorum Astronomorum, occasione nocta, strenuam navarunt operam. Tentamen quidem tam in Cometa anni c<sup>16</sup>I<sup>o</sup>c<sup>16</sup>L<sup>1</sup>, uti monet *Deckales* in mundo mathemat. T. IV pag. 584, quam in eo, qui anno c<sup>16</sup>I<sup>o</sup>c<sup>16</sup>L<sup>1</sup>XIV affulxit, non infeliciter instituerat clarissimi nominis Philosophus *Auzutus*, utpote qui teste *Henrico Oldenburgio* in Actis Philosophicis societatis regiæ in Anglia anni c<sup>16</sup>I<sup>o</sup>c<sup>16</sup>L<sup>1</sup>XV pag. 3 seqq. de die in diem ephemerides, loca cœli, quæ Cometa peragratus esset, determinantes, adornavit, & publicæ Eruditorum disquisitioni reliquit. Quem in eodem conamine exceptit diligentissimus astrorum speculator *Cassinius*, cūjus scriptum publicum, *Abregé des observations & des reflexions, sur la Comete c<sup>16</sup>I<sup>o</sup>c<sup>16</sup>L<sup>1</sup>XXX & c<sup>16</sup>I<sup>o</sup>c<sup>16</sup>L<sup>1</sup>XXXI*, in quo Cometæ tunc conspicui, quem eundem prorsus cum eo Anno c<sup>16</sup>I<sup>o</sup>L<sup>1</sup>XXVII putabat, viam & durationis tempus prænunciavit, recensent Acta Eruditorum Lipsiensia Anni c<sup>16</sup>I<sup>o</sup>c<sup>16</sup>L<sup>1</sup>XXXII pag. 288 seqq. & brevius *Johannes Baptista Hamelius* in regiæ scientiarum Academiæ historia pag. 211 seqq. Nondum tamen integrum Systema fingere, & ad calculos motus Cometarum revocare, eorumque redditum prædicere quis ausus erat, donec *Jacobus Bernoullius*, Basileensis Academiæ decus, in conamine novi Systematis Cometarum, edito Amstelod.<sup>operam na-</sup>  
<sup>vante Ber-</sup>  
<sup>noulio.</sup> 1682, 8, (cujus simile etiam lingua vernacula paulo ante publicaverat, Basileæ 1681, 4,) occasions Cometæ 1680, tale quid fuerit aggressus.

## IX.

Hujus de Co-  
metæ a. 1680  
motu aer -  
diti opinio  
& Systema.

Hic enim supposito *Cartesii* de vorticibus figmento, Cometas in vorticem nostri Solis, inter Saturnum & Fixas, ita collocabat, ut, ad instar Planetarum secundiorum, circa Planetam quendam primarium, sed ob immensam distantiam conspectum nostrum effugientem, cursum suum dirigant, & tum demum visibiles fiant, quando in perigæum orbitæ suæ circularis perveniunt. Duplii igitur Cometas moveri motu statuere necessum habuit, uno, quo in proprio vortice circa Planetam suum primarium rotantur, altero, quo una cum Planeta suo a vortice solari circa solem abripiuntur: plane ut Jovis satellites non modo in epicyclo circa Jovem, sed & totus epicyclus una cum Jove & satellitibus a vortice solari, tanquam a deferente suo circa solem ipsum feruntur. Quibus generatim fundamenti loco positis, ad ipsum Cometæ dicti motum speciatim explorandum, ante omnia duo quasi puncta cardinalia, Perigæum puta, & stationem determinare studuit, parum enim deinceps difficultatis superest ad spatium, quod a tempore, quo in Perigæo Cometa fuit, usque ad stationem percurrit, accurate designandum. Perigæum Cometæ anni cœlo CLXXX, die 20 Decembris in 0 gr. 20 min. ≈, stationem vero ejus die 7 Februarii anni cœlo CLXXXI inter Apem & Algol deprehendit, sic ut ≈ Perigæo ad stationem suam, spatio videlicet 49 dierum, 99 gr. 51 min. in circulo maximo percurrerit. Cum vero motus iste, uti ex ante dictis constat, ex tribus motibus sit conflatus, e motu scil. Cometæ proprio in orbe suo, dein e motu vorticis solaris deferentis vorticem cometicum, tandemque e motu telluris, ad investigandum motum

motum Cometæ proprium in orbe suo , a 99 gr. 51 min. subducendum est additamentum , quod illi a binis motibus , spatio 49 dierum accedere potuit . Quo facto pro Cometæ motu proprio relictus fuit angulus 88 gr. 43. min. ex quo facili labore arcus , quem super centro suo , & in proprio orbe Cometa descripsit , amplius potuit computari . Hoc denique invento sequenti argumentatione : In tempore a perigæo usque ad stationem 1 gr. 17 min. Cometa percurrit , quantum temporis requiriatur , donec 360 gr. absolverit , determinasse se speravit , fore , ut post 38 annos & 147 dies , h. e. anno cI9 I9 ccxix die 7 Jan. iterum in perigæo suo conspicuus reddatur .

## X.

Spes autem decollavit . Licet enim neminem non Defectus va-  
anxia teneret eventus expectatio , omniumque fere oculi rios in hoc  
ad cœlum eo tempore quasi affixi essent , nihil tamen sese Systemate  
conspiciendum præbuit . Mirum vero cur hoc cuiquam notat  
videatur non est , cum ex sequiorum temporum observa-  
tionibus varii ostenderunt , in quam multis Bernoullianum  
systema deficiat , quantumque a vero recedat . Neque  
ipse hoc diffitetur Bernoullius , quando l. c. pag. 26 , sub fi-  
nem propositæ hypotheseos , sequentem in modum differit :  
*Non quidem mihi adeo sum suffenus , quin , circa has meas  
allatas hypotheses , multas adhuc & magnas difficultates ab  
Astronomis detectum iri persuasissimus sim ; sed confido ta-  
men , eos facilem Autori datus veniam , si perpendant ,  
omne , ut vulgo aiunt , principium grave esse , nec omnibus  
numeris absolutum Cometarum Systema ita ex abrupto , &  
manibus , quod ajunt , illotis , sed post accuratissimas demum  
observationes , & post longam eorum seriem expectandum .*

Et

Et paulo post ita pergit : *Quod si eventus prædictioni meæ  
suo tempore respondere deprehendatur , tum meæ hypothet  
tuto insisti poterit , sin minus , unicuique integrum erit ,  
addere , demere , mutare , corrigere pro lubitu.* Hac con  
cessa facultate , non tamen expectato eventu , ipsius jam  
tempore , usi sunt haud pauci , ex quibus duos præ cete  
ris nominabimus , qui ingeniosas ejus cogitationes falsita  
tis prorsus arguerunt. Vix lucem *Bernoullianus* libellus  
*Montreus.* conspexerat , cum Parisiis in cathedra *Rami* , a *Montreo* ,  
in Collegio Regio Franciæ Matheſeos Professore , ejus re  
futatio jam institueretur , quam vero , quoniam in Actis  
Eruditorum Lipsiensibus Anni cIo Ic CLXXXII pag. 239 ,  
quæ in plurimorum versantur manibus , prolixe exhibe  
tur , hic allegasse tantum sufficiet. Majori consideratio  
ne h. l. digna videntur ea , quæ illustris *Nevvtonus* in  
Philosophiæ naturalis principiis mathematicis proponit.  
Licet enim non ex instituto contra *Bernoullianum* syſtema  
directa sint , nihilominus tamen illud deſtruunt , & ejus  
defectus omnibus ob oculos ponunt.

## XI.

*Nevvtonus.* Primum quod ex *Nevvtoni* doctrina *Bernoulli* the  
ſibus contrarium est , ad locum attinet Cometarum , quem  
*Bernoullius* , uti vidimus l. c. pag. 14 & 16 , extra syſtema  
Planetarum , in ſpatium immenſum inter Saturnum & Fi  
xas , *Nevvtonus* vero ſupra Lunam quidem , non autem  
ſupra Saturnum , poſuit. Inter ſex argumenta , quibus  
l. c. a pag. 474 -- -- 480 Cometas in regione Planeta  
rum versari probat , ea præcipue commemorari meren  
tur , quæ ab illuminatione eorum a Sole , itemque a luce  
capitum crescente vel decrecente , prout a Terra Solem  
versus

versus accedunt, vel ab eo Terram versus recedunt, ingeniose sunt petita. Prioris veritatem egregie confirmat ex consueta illa, sed in propagatione luminis perpetua regula, qua corporis coelestis, a Sole illustrati, & in regiones longinquas abeuntis, splendor in quadruplicata ratione distantiæ diminui dicitur; in duplicata scilicet ratione ob auctam corporis distantiam a Sole, & in alia duplicata ratione, ob imminutum Diametrum apparentem. Hinc ubi, teste *Hevelio*, in descriptione Cometæ anni **c. 1665** pag. 4 nucleum cometæ illius, eo tempore, quo claritate pene omnes fixas superabat, nondum ad magnitudinem corporis Saturni intermedii rotundi omnino accessisse invenit, firmiter sane Cometam hunc infra, vel non longe supra Saturnum collocandum esse collegit. Cum vero non in uno hoc tantum, verum etiam in aliis pluribus simile quid a præstantissimis Cometarum speculatoribus fuit observatum, haud male exinde *Bernoullianam* de loco crinitorum siderum thesin infirmam reddi affirmamus. Pari felicitate posteriori *Neuytoni* argumento eandem assertionem destructum iri speramus. Illud enim corpus, quod a Sole Terræ magis appropinquans, multum Splendoris sui amittit, rursus autem, post accessum ad Solem, eundem recuperat, in regione Planetarum constitutum esse, extra omnem dubitationem positum est. Sed in Cometis variis ejusmodi luminis decrementum ac incrementum, prouti a Sole recesserunt vel ad eum accesserunt, observatum esse l. c. pag. 478 & 479 pluribus probat *Neuytonus*. Rectissime igitur ex hoc etiam fundamento secundum Cometarum in Planetarum regionem collocat.

C

XII. Sa-

## XII.

Satis quidem superque haec tenus ex his duobus *Newtoni* argumentis *Bernoulliani* Systematis falsitatem apparetre putamus, non inconsulte tamen nos acturos esse arbitramur, si ex celeberrimo hoc Anglo, alium etiam errorrem *Bernoulli* indicamus, qui æque ac modo allatus, vaticinium illud, deCometa anno cīo Iō c c x i x die 7 Junii redeunte, fecit irritum. Vidimus antea § IX, & ex ipsius etiam scripto pag. 16 probare possumus, *Bernoullium* inter alia Cometam in orbita circulari moveri, cuius centrum in dicto spatio inter Saturnum & Fixas sit, assumisse. Thesis autem hanc tantum abest, ut veram esse *Newtonus*

Quem tam  
men, quod  
motum in se-  
tas stellas in sectionibus Conicis, umbilicos in centro So-  
tionibus co-  
nicipis attinet,  
jam præivit  
Dörfelius.

concesserit, ut potius l. c. pag. 480 & 481 has cincinna-

tas stellas in sectionibus Conicis, umbilicos in centro So-  
tionibus co-  
nicipis attinet, moveri accurate demonstraverit. Non  
ipsum quidem primum Autorem, uti multi voluerunt,  
tam egregii inventi dixerimus, quippe cuius gloria *Dör-  
felium*, Germanum manet, Plaviensis Ecclesiæ apud Vari-  
scos Pastorem olim meritissimum. Hic enim, uti Acta  
Eruditorum Lipsiensia Anni cīo Iō c LXXXV pag. 571 seqq.  
testantur, non novam tantum methodum phænomenorum  
cœlestium, & in primis Cometarum, intervalla a terris,  
facillime determinandi invenit, sed etiam in peculiari  
scripto, occasione Cometæ Anni cīo Iō c LXXX vulgato,  
cui titulus: Astronomische Betrachtung des grossen Co-  
meten, welcher Anno cīo Iō c LXXX und cīo Iō c LXXXI  
erschienen, primus Problematis instar, quæstionem hanc  
proposuit: Ob nicht dieser und der andern Cometen Be-  
wegungs-Linie eine solche Parabole seye, dero Focus in  
das centrum der Sonnen zu setzen. Nihilominus tamen

Cel.

Cel. *Nevvtono* gloria illustratæ & ad majorem perfectio-  
nem redactæ *Dörfelianæ* theses nunquam denegabitur.  
Nam quod indicare tantum *Dörfelio* placuit, illud secun-  
dum artis regulas magis perspicue ac copiosius Anglus  
hic acutissimus exposuit. Assumit autem pro fundamen-  
to Cometas secundum lineam rectam ita agitari, ut vis  
centripeta sit reciproce proportionalis quadrato distantiae  
a centro; quo concesso, ex eo, quod Propos. XIII Probl.  
VIII pag. m. 54 demonstravit, porro Cometas in aliqua  
Sectionum Conicarum, umbilicum in centro virium, h. e.  
in centro Solis habente, moveri concludit. Hinc, si in  
orbem redeunt, orbes erunt Ellipses, Parabolis tamen ad-  
eo finitimi, ut eorum vice Parabolæ absque erroribus  
sensibilibus adhiberi possunt.

*XIII.*

His igitur sic se habentibus & *Bernoullianum* & *He-  
velianum* sistema Cometarum uno quasi ictu concidit. *Nevvtoni de  
Cujus posterioris nullam plane mentionem amplius face-  
remus, nisi ipse Nevvtonus, in Coroll. 3 Lemmatis IV  
pag. 480, suam de Hevelii observationibus mentem nobis  
expressam daret, quam etiam hic exhibere dignam judi-  
cavimus: Fallor, inquit, ni genus Planetarum Cometæ sint,  
& motu perpetuo in orbem redeant. Nam quod Scriptores  
aliqui Meteora esse volunt, argumentum a capitulo perpetuis  
mutationibus ducentes, fundamento carere videtur. Capita  
Cometarum Atmosphæris ingentibus cinguntur; & Atmos-  
phæra inferne densiores esse debent. Unde nubes sunt,  
non ipsa Cometarum corpora, in quibus mutationes illæ vi-  
suntur. Sic Terra, si e Planetis spectaretur, luce nubium  
suarum procul dubio splendoreret, & corpus firmum sub nubi-  
bus prope delitesceret. Sic cingula Jovis in nubibus Pla-*

C 2

netæ

netæ illius formata, situm mutant inter se, & firmum Jo-  
 vis corpus per nubes illas difficilior cernitur. Et multo ma-  
 gis corpora Cometarum sub Atmosphæris & profundioribus  
Eiusdem Co-  
metarum  
Theoria a  
Gregorio u-  
berius expo-  
rita.  
 & crassioribus abscondi debent. Sed ad ipsam Newtoni  
 Cometarum Theoriam nunc reuertimur, quam uberioris  
 & clarius exposuit David Gregorius, Oxoniæ Astronomiæ  
 Professor Savilianus, in Astronomiæ, Physicæ, & Geome-  
 tricæ Elementis, Oxoniæ Anno c I o I o c c i I fol. editis.  
 In his enim non modo illud, quod Newtonius ipse demo-  
 tu Cometarum in sectione Conica jam affirmavit, ulte-  
 rius confirmatum dedit, verum etiam ad observationes  
 Kepleri, quæ Cometas lineas rectas, quas Trajectorias vo-  
 cant, percurrere probare uidentur, accurate respondit.  
 Omnem nimirum rem I. c. Lib. I Propos. XXXV pag. 43  
 ad observationes redire putat, quas plerumque eo tempo-  
 re institutas fuisse ostendit, quo Cometa, in orbitæ suæ  
 parte, quæ non multum a recta linea abludit, ferebatur,  
 cum per reliquum tempus, quando orbitæ partem magis  
 incurvatam percurrit, vel nimium remotus fuerit, vel  
 intra Solis radios delituerit. Quum igitur revera motus  
 Cometarum in Ellipsi observari non facile possit, in sequen-  
 tibus Lib. V, Prop. XXVI, pag. 434, seqq. modum osten-  
 dit, secundum quem linea illa recta Trajectoria, quam si-  
 dera hæc describere videntur, sit determinanda. Qua  
 inventa demum Ellipsin construere docet, quippe quæ ex  
 sectionibus Conicis sola illa est, quæ, si Cometæ corpora  
 sunt Mondo coæva, & Planetarum instar in orbem rede-  
 untia, illorum Phænomenis exæte satisfaciat..

#### XIV.

In generalibus autem hisce tanti viri labor non sub-  
 stitit.. Postquam enim Cometas in Orbibus moveri fir-  
 miter

miter sibi persuaferat, non incredibile videri putavit, non tantum esse Cometarum numerum, quantum Scriptores vulgo memorare solent, sed sequioribus temporibus sæpius eosdem visos esse, qui antiquioribus affulserunt. Gregorii hanc in rem specialia merita.  
 Hinc ad tempus, quo Cometæ denū visui nostro se subjiciant, perfecte eruendum, ante omnia Axin majorem orbitæ investigari voluit. Est autem quadratum temporis periodici Cometæ, ad quadratum temporis periodici Telluris circa solem, ut cubus majoris Axis orbitæ Cometicæ, ad cubum majoris Axis orbitæ quam Tellus circa solem describit. Ipse tamen ratione temporis certi aliquid definire non est ausus, cum non nisi ex observationibus in posterum instituendis illud certo innotescere posse crederet. Interim pro motibus Cometarum facilius definiendis, generales construere suadet Tabulas, ex quibus, si quando novus Cometa emerserit, collatis observationibus, dignosci possit, an sit aliquis ex antiquis; quo facto parum restabit operæ, ut Periodus, orbitæque Axis determinetur, redditusque prædicatur. Loca, quæ hic evolvi merentur, vid. l. c. Lib. V, Propos. XXXI, p. 451, & Propos. XXXI, pag. 457.

## XV.

Quod' ratione Tabularum *Gregorius* faciendum fuasit, illud eodem fere tempore *Edmundus Hallejus*, apud Oxonienses Professor Savilianus, re ipsa præsttit. Et Halleji. Hic, uti Acta Eruditorum Anni 1700ccvii, pag. 219, loquuntur, in Astronomiæ Cometicæ Synopsi methodum *Newtonianam* orbitas Cometarum geometrice construendi, in Principiis Philosophiæ naturalis propositam, & a *Gregorio* in Elementis Astronomiæ clarius explicatam, calculo Arithmetico accommodavit ita, ut ope solius Tabulæ generalis,

C 3

quam

quam immensi pæne calculi fructum prædicat, omnia de motu Cometarum hactenus observata accuratissime repræsentare liceat. Exempli loco viginti quatuor proposuit Cometas, quorum motus & loca visa ex tabula sic constructa non modo definiit atque supputavit, verum etiam comparatione inter eos invicem instituta eorum similitudinem atque dissimilitudinem demonstravit. Ita propter similes motus Cometam anni c<sup>16</sup> I<sup>o</sup> CLXXXII eundem judicat cum eo, qui Anno c<sup>16</sup> I<sup>o</sup> LXXXI Petri Appiani, & Anno c<sup>16</sup> I<sup>o</sup> CVII Kepleri ac Longomontani oculos ad se dixit, cumque hi Cometæ circiter annorum LXXVI intervallo inter se distent, non sine veri similitudine eundem anno c<sup>16</sup> I<sup>o</sup> CCLVIII redditum collegit. Cometæ autem anni c<sup>16</sup> I<sup>o</sup> CLXXX revolutionem prædicere non ausus fuit, sed de eo illud unicum tantum monendum esse duxit, quod ob immanem motus medii velocitatem, cum latus rectum admodum exiguum sit, tabula generali coërceri haud potuerit,

## XVI.

Epilogus,

Finem jam imponere possemus laboribus nostris, postquam de FATIS ac PROGRESSV SCIENTIAE COMETICAE, ea, quæ intra duorum seculorum spatium præcipue notari debent pro virium modulo breviter consideravimus. Omnia enim, quæ de Cometis hue illuc occurrunt, hic transcribere, neque instituti ratio, neque virium nostrarum tenuitas permisit. Interim non possumus non aliquid adhuc inserere, quod in prioris partis tractatione, quia nos tum temporis fugerat, fuit omissum, hic autem ob rei dignitatem non omittendum censemus. Est illud egregia Petri Appiani, Leisnigenis, clarissimi nominis Mathematici, de cauda Cometarum observatione.

cum adjecta  
Appiani de  
Cometarum  
cauda, obser-  
vatione.

servatio,

servatio , quam primus omnium instituit , cum , ut ipse  
 in Astronomico Cæsareo , mirando opere , testatur , neque  
 Philosophi , neque Historici , neque Astrologi ad illum us-  
 que diem probatiora faltem de ea attulissent . Observare  
 nimis ei licuit in quinque Cometis , qui intra decent-  
 nium ei se obtulerunt , caudam horum siderum semper  
 fuisse e Diametro Soli oppositam , quod recentiori ætate  
 omnium Cometarum apparitiones confirmarunt . Pri-  
 mum hoc expertus est in Cometa anni c I o I o x x x i , cuius  
 Theoriam sedecim capitibus sub finem laudati operis ex-  
 hibet . Quæ huc in primis pertinent , leguntur Cap . 15 ,  
 de Cometa dicto , ubi præmissis de Solis & Cometæ loco  
 observationibus , ita pergit : *His constantibus , arcum , quæ*  
*a Sole per Cometæ medium transiret , imaginabar , arcum*  
*item alium a Sole per caudæ extremitatem duclum . Atqui*  
*certum erat arcus ambos a Sole traxos , alterum per corpus*  
*Cometæ , alterum per extremitatem caudæ euntem , eosdem*  
*esse , cum angulos pares cum Ecliptica juxta Solis gradum*  
*efficiant , ex quo sequitur rursum lineam rectam , quæ e Sole*  
*per Cometam educitur , vel educi concipitur , eandem per cau-*  
*dæ medium longitudinaliter , ut sic loquar , transire oportere .*  
 Ipsa Appiani verba huc transferre eo minus dubitavimus ,  
 quo rarius in scriptis publicis , tum ob observationis negle-  
 ctum , tum ob Astronomici Cæsarei raritatem hactenus  
 comparuerunt . Essent quidem adhuc alia , quæ ex cele-  
 berrimo hoc Astronomo in doctrinæ hujus illustrationem  
 afferre possemus , cum vero breves nos esse præsentis insti-  
 tuti ratio moneat , hic exoptatum denique , per DEI  
 gratiam , Dissertationi nostræ constituimus

F I N E M.

Sic

**S**Ic NOS, quos patrii primum juxtere Penates  
Mens eadem, & studium denique jungit idem.  
Fac eadem nunquam non jungat amica voluntas,  
Commune ut semper gaudium VTERQVE sciat.

*Nobilissimo Doctissimoque  
DN. RESPONDENTI  
Amico & Conterraneo suo suavissimo,  
amicam mentem hisce testatur*

PRAESES.

**V**icta supersticio TIBI tanta minatur AMICE,  
*Quanta Cometa solet significare mala.*


*Nobilissimum Doctissimumque  
DOMINVM RESPONDENTEM  
forti animo esse jubet*

**M. CHRISTOPH. MAVRITIVS LOCHNERVS,**  
Opponens.

**Q**Vos timidi metuunt, mox opto videre Cometas,  
Ne vanum sit opus, DVLCIS AMICE, Tuum.

*Nobilissimi Doctissimique DN. RESPON-  
DENTIS conatibus hisce paucis ap-  
plaudere voluit*

**JOHANNES MARCVS MERCKEL,**  
Rückersdorffio - Noricus, Opponens.



Acta v. 55/3